# D. MICH. HENR. GRIBNERI,

Acad. h. t. PRO-RECTOR.

DISSERTATIO

*DE*

# PRECIBVS PRIMARIIS VICARIORVM IMPERII,

ANNO M DCC VIII. D. IX. MAJ.

*RESPONDENTE.*

IOH. GEORGIO BERGE,

Equ. Luſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HABITA.

NVNC SVB IPSIS INTERREGNI AVSPICIIS RECVSA ET VARIIS ACCESSIONIBVS AVCTA.

---

*VITEMBERGÆ,*

PRELO CHRISTIANI GERDESII.

ANNO M DCC XI.

Digitized by Google

DE

# PRECIBUS PRIMARIIS VICARIORUM IMPERII.

## §. I.

Vicariis Imperii

INter præcipua Potentiſſimorum Saxoniæ Electorum Decora, nemo eſt, qui ignoret, inſigne in primis eſſe & ſublime, quod una cum Comite Palatino Rheni non modo vacante ſolio, ſed & abſente Rege, univerſi imperii faſces Vicarii moderentur. Ampliſſimum hoc & eminentiſſimum faſtigium eſt, ac antiquæ Gentis Saxonicæ dignitatis illuſtre ſatis monumentum. Siquidem nullus unquam populus cuiquam facile Inter-Regis partes credidit, niſi qui inter reliquos Proceres vel primum locum teneret, vel poteſtate certe ac auctoritate non parum emineret (a). Hic enim, quoties Imperium vacare contingit, eundem fere cum ipſo Principe Majeſtatis tenet gradum, ac ad certum tempus quidem duraturum, non minus tamen auguſtum ob-



(a) Hoc Poloniæ, Scotiæ aliorumque populorum Pro-Reges nos docent. Neque dubito, quin hanc ob cauſam olim Saxoniæ & terræ Rhenenſis Ducibus partes iſtæ creditæ fuerint, cum illi inter omnes ſeculares, quos vocant, Principes eminuerint, & ex priſcis illis primi Ordinis Ducibus, extinctis reliquis ducatibus, ſoli ſuperſint.

tinet culmen; quod apud nos Genti certæ perpetuum & hæreditarium eſt (b), licet ipſa Germaniæ Regum poteſtas libero eligentium arbitrio conferatur. Sed de poteſtate Vicariorum Imperii in univerſum prolixior eſt diſputatio ac dudum occupata ab aliis, qui Imperii noſtri Statum & Jura ex inſtituto expoſuerunt, quamvis haut paucos odii & invidiæ cauſas non procul habuiſſe (c), res ipſa doceat. Qui cum ubique id agant, ut jura aliorum invadant, in dubium temere vocent, aut circumſcribant, in ſuorum tantum Principum laudibus plus, quam ſervili adulatione occupati, quid mirum, ſi ſummum etiam hoc Vicariorum faſtigium lubido eorum non reliquit intactum? Sed nunc non id agimus, ut calumniis illorum eamus obviam, amplior hæc eſt, ac fertilior materia, quam quæ unius Diſſertationis cancellis poſſit includi. Sufficiat nobis in unica amplitudinis Vicariorum particula periculum facere virium, ac ex jure, quod ipſis circa Sacra (d) competit, *facultatem porrigendi preces primarias* in præſenti attingere, aſſerere & vindicare, ac paulo etiam, quam vulgo fit, plenius explicare.

## §. II.

Jus primariarum precum

Scilicet conſtat inter omnes, S. M. Cæſaream ad Eccleſias ac Capitula Germaniæ preces dirigere, quas vocant primarias, atque ut præbenda primum vacatura, ei, qui illas impetravit, legitime conferatur, jure ſuo imperare. Quæ tenues ſatis priſtinæ circa Sacra auctoritatis reliquiæ, cum Impera-

(b) Hinc recte Goldastus *Dedicat. Tom. II. Conſtit. Imp.* Chriſtianum II. El. Saxon. Interregem hereditarium appellavit. Sed & Frider. Sapiens ſe ipſum dixit: *den rechten wahren Erb-Vicarien des H. R. R.* in literis ad Ordin. Imp. Torgav. *an 1496.* datis.

(c) Vid. *Diſſ. de Jurib. Vicar. Imp. quæ perperam a quibusd. in dubium vocantur.*

(d) Huc enim referunt vulgo jus precum primariarum: quamvis ego cum eo, qui id ad jus Principis circa dignitates pertinere exiſtimet, contendere nolim.

Digitized by Google

peratoribus vi conſvetudinis antiquiſſimæ, ac jam Rudolphi I. (a) tempore hominum memoriam excedentis ſuperſint, Aureæ Bullæ etiam ſanctione confirmatæ (b), ab utrisque tamen & Romanæ Eccleſiæ & ſacris purioribus addictis Imperii Ordinibus, illis quidem Pontificis Jura in præjudicium Libertatis Germanicæ venerantibus, his vero preces Imperiales Papæ conceſſione niti perſvaſis (c), ſæpius olim vocatæ fuerunt in dubium, usque dum perpetuum duratura conventione pacis Veſtvalicæ tabulis caveretur (d): Regi fas eſſe, citra *religionis diſcrimen* ad quascunque Eccleſias preces porrigere, ſi modo in iis, quæ Ordinum imperio ſubſunt (e), anni 1624. poſſeſſio poſſit doceri. Quamvis non tam conceſſa hac lege, quam reſtituta fuerit poteſtas Cæſari, quam Rudolphum, Carolum, Rupertum, Sigismundum (f), aliosque Imperatores, nemine prohibente, exercuiſſe manifeſtum eſt. *Hoc* ergo ſublime *jus*, quod Cæſari hodie haudquisquam citra impudentiam denegare



(a) Extat Conſtitutio Rudolph. I. *de an. 1268.* ap. GOLDAST. *Tom. III. p. 406.* ubi ad *antiquam, approbatam & a Divis Imperatoribus ad ſe productam conſvetudinem provocat.* Add. Id. *Tom. I. p. 234.* ubi exhibet preces Imper. Henr. *de an. 1105.* ad Epiſc. Bamberg. directas.

(b) *Cap. V. §. 1.* Conf. *Diſp. Oligenio oppoſit. §. X.*

(c) v. SYRING *de Pac. relig. th. 31.*, MYLER. *ad A. B. Diſſ. IV. th. 16. p. 100.* & LIMN. *l. 2. c. 9. n. 3.*

(d) *art. V. §. 18. & 26.*

(e) *§. 26.* enim pertinet tantum ad Eccleſias mediatas, de immediatis cavet *§. 18.*

(f) *Rudolphi* & *Henrici* diplomata ſupra *lit. a.* allegavimus. *Caroli* literas exhibet LEIBNIZ *Cod. Jur. Gent. Dipl. p. 222.* add. MULDNERI *Diſſ. Inaug. poſ. 4. §. 7. p. 51.*, *de Ruperto* vid. FREHER. *Orig. Palat. l. 2 c. 16.*, *de Sigismundo* SCHILTER *de Libert. Eccl. Germ. l. 6. c. 5. §. 2.*

Digitized by Google

gare (g) poteſt, *utrum Vicariis etiam Imperii vindicari* debeat, *ac, qua ab iis ratione posſit exerceri*, ea, qua par eſt, in juribus Principum expendendis modeſtia, ingenuo veritatis ſtudio juvabit indagare.

§. III.

Limnæus, Mulzius, Schilterus aliique denegant.

Equidem ubi evicero, *fruſtra hoc jus* a nonnullis *Pro-Regibus Germaniæ denegari*, non adeo difficile erit, omiſſam a plerisque *de modo ac ratione id exercendi* tractationem ſupplere. Primum ergo cum iis res mihi erit, qui ex graviſſimis, uti exiſtimant, rationibus nullam omnino partem, in precibus primariis Vicariis relinquunt. Quorum in numero *LIMNÆUM* eſſe ac *MULZIUM*, non miror, miror, *SCHWEDERUM SCHILTERUMque* eſſe, quos alias Vicariorum Jura ſtrenue aſſeruiſſe, hunc quoque ex inſtituto de eorum poteſtate & eleganter ac erudite *diſſeruiſſe* (a) novimus; Operæ pretium eſt, ipſa ut Virorum Celeberrimorum verba ſubjiciamus, ut, quid de rationibus eorum ſentiendum ſit, Lectori ſtatim apparere poſſit. Ac *LIMNÆUS* quidem, licet vix ſibi ipſi videatur conſtare, & modo, a plerisque Jus Vicariorum agnoſci, tradat, *v. l. 3. c. 12. n. 66.* modo controverſiam hanc velut in medio relinquat, non parum tamen propendet in eam ſententiam, quæ preces primarias Vicariis plane denegat: Cum enim ex conſvetudine antiqua & *Coronatione ſolenni* eas Imperatori competere aſſerat *l. 2. c. 9. n. 5.* facile apparet, eundem ad *A. B. c. V. Obſ. 11. §. 1.* ſecundæ accedere opinioni, qua poſita, *extincto Rege, jus quoque hoc exſpirare* monuerat. *MULZIUS* autem *Repræſent. Maj. Imper. P. 2. c. 33. membr.*

(g) Denegavit tamen noviſſime Conrad. Oligenius (ſub quo nomine latuiſſe Clariſſimum Fontaninum, volunt) *in Diſſ. de Precibus Primariis Imperialib. an. 1706.* edita, cui oppoſui *Diſſ. de Precib. Primar. ſine Pontif. indult. validis.* Lipſ. *an. 1707.*

(a) Prodiit Schilteri Diſſ. *de Vicariis Imperii Rom. Germ.* Argentor. *ann. 1693.*

Digitized by Google

*membr. 2. n. 249. p. 342.* ſatis liquido Vicarios a jure primarias preces porrigendi excludit. Jus hoc, inquit, *perſonale* eſt, quod ipſi Imperatori competit, quatenus eſt Imperator, *propterea in Vicarios non cadit*, & poſtea: *tamen non exercent jus primariarum precum, quia non ſunt ipſe Imperator*, vel Rex, cui *jure majeſtatis id* competit. Idem diximus placuiſſe Celeb. *SCHWEDERO*. Is enim *Introd. in Jus Publ. Part. Sp. Sect. 1. c. V. §. 16.* Vicariis Imperii eandem poteſtatem vindicari, & verba Aureæ Bullæ eo referri poſſe, negat, rationemque ſubjicit, *quod jus hoc ſemel tantum exerceatur. Add. eundem S. 1. C. 33. §. 7.* *SCHILTERUS* autem in *Inſtit. Juris publ. l. 1. tit. 18.* non modo *LIMNÆUM* laudat & ſequitur *§. 3.* ſed &, cum Vicariis eandem cum Imperatore poteſtatem conceſſiſſet, mox ea excipit, quæ vi *electionis vel coronationis Cæſari* competunt, eoque preces refert primarias *l. c. §. 5. p. 190.* Idem in *Diſſertatione de Vicariis Imper. Rom. Germ.* iterum iterumque hanc hypotheſin urget. *Jus ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi* (ait) *in Aurea Bulla, de jure Primar. prec. accipi nequit, cum hoc Imperatori ipſi exercendum aut cedendum competat, non Vicariis, §. 11. p. 13.* Et paulo poſt: *Intelligunt nonnulli per hoc Jus præſentandi illud primariarum precum, ſed id nos non credere, facit primo diſcrimen, quod* ἀκριβῶς *loquendo eſt inter* præſentationem *ſolam & promotionem ipſam, deinde, quod jus Prim. Precum electus Imperator demum ipſe exerceat, d. l. p. 14. Add. eund. p. 15. & p. 19.* ubi denuo contra Vicarios eorumque poteſtatem diſſerit. Eadem *JO. FERD. BEHAM* eſt ſententia *Inſt. Jur. publ. p. 257.* & forte (c) *SPRENGERI*, vid. *Inſtit. Jur. Publ. l. 1. c. 7. p. m. 36.*

His

(b) Quam parum tamen ſibi conſtet Vir Celeb., dixi in *Diſſ. de Jurib. Vicar. th. 30.*

(c) Forte inquam. Nam ubi certe Vicariis nominatim hoc Jus non neget, dicit tamen, id inter jura incommunicabilia poni. Sed add. eund. *in fontibus p. m. 160.* ubi vi Aureæ Bullæ Vicariis poteſtatem preces primarias dirigendi competere fatetur.

Digitized by Google

His noviſſime Ill. *COCCEJUS* acceſſit, qui *Jur. Pr. Publ. c. 16. §. 13. p. 309.* negat, Vicarios primariarum precum jus exercere. Sed & Clariſſ. *CORTREJUM* hunc in ordinem refero, qui, cum preces primarias Vicariis Imperii concedat, ita tamen hoc Jus tuetur & explicat, ut, quod una manu largitur liberaliter, altera abſtuliſſe videatur.

## §. IV.

**Quorum argumenta expenduntur.**

Expendamus ergo rationes, diſcutiamus argumenta, quæ Celeberrimos Viros commoverunt, ut æmulam Majeſtati Cæſareæ proximamque illi in Imperio noſtro poteſtatem juris hujus exercitio carere, ſibi aliisque perſvadere conarentur. Nam quod ſoli Cæſari hoc competere, perſonaliſſimum, & ut *SPRENGERUS d. p. 36.* loquitur, Jus incommunicabile, eſſe dicant, id ſi Vicariis noſtris objiciant, principium, ni fallor, petit & ſupponit, quod eſt in controverſia.

**Alii dicunt, Jus hoc eſſe perſonale.**

Reſervati quoque nomen, quod juri Precum Primar. non male tribuitur, nobis objici nequit. Ecquis enim ignorat, quam varie hæc vox accipi, & uſurpari ſoleat? Adeo difficile eſt, non modo numerum Reſervatorum inire, (a) ſed & de ſingulorum ratione, ac exercitio ferre judicium. Sunt, quæ Imperatori competant citra controverſiam ſoli, ſunt, in quibus Electorum concurrit auctoritas, ſunt & alia, quæ a Rege in univerſo Imperio & ab Ordinibus ſimul in horum territoriis exercentur. Legitimat, reſtituit Imperator, dat veniam ætatis; at eadem jura ſine dubio Principes in provinciis ſuis exercent, ac ſic quodammodo cum Imperatore in uſu eorum concurrunt (b). Ipſum hoc, de quo agimus, precum primariarum jus ita comparatum eſt, ut, cum Cæſari ad quaslibet Eccleſias eas

**Alii, Reſervata Imp. a Vicariis exerceri non poſſe.**

(a) Quod ne ipſi quidem legati Imperatoris auſi fuerunt, teſte KULPIS. *ad Monz. p. m. 182.*

(b) Imo ſi verum fateri volumus, hæc jura ſolis Principibus in terris eorum competunt, ut ipſis invitis Imperator illa ſibi vindicare nequeat, vid. *Diſſ. d. Jur. Princ. Imp. reſtit. famam §. 23. ſqq.*

Digitized by Google

eas porrigere liceat, Ordines tamen idem ſibi in ſuis eccleſiis jure vindicare exemplo Brandenburgici Electoris conſtet (c), quem non vi ſingularis eminentiæ, quod nonnulli fruſtra fingunt (d), ſed ex territoriali ſuperioritate, quod ipſius Legati olim profeſſi ſunt, in ſuis territoriis hac poteſtate uti, poſt *SCHEPLITZ. Conſuet. March. Tit. 1. §. 2. 3. n. 5. p. 9. (Ed. Lipſ. de an. 1616. fol.) THULEMAR. d. Octovir. c. 17. n. 21., RHET. Inſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 16. §. 8., FRITSH. c. 3. n. 15., Dn. STRYCK de Jure Papali Principum c. 4. §. 5.* aliique tradiderunt. Add. Perilluſtr. atque Excell. Auctor *des Europ. Herolds* p. 281. Sed hoc alibi plenius excutiemus, cujus ideo ſaltim hic nobis mentio facienda erat, ne quis nomine Reſervati ſibi pateretur imponi, cum ne Statuum quidem Superioritati territoriali ubique vox hæc recte opponatur. Vicariis autem Imperii eam objici, multo minus ſolida juris ratio patitur, qui non eſſent, quod dicuntur, niſi vel maxime in iis, quæ ſoli Imperatori reſervata ſunt, vicibus ejus fungerentur. Aſt perſonæ Cæſaris, inquiunt, poteſtas hæc cohæret. Qui ita ſentiunt, aut Imperatorem juris hujus exercitium in alios transferre poſſe, negant, quod nec ipſe *SCHILTERUS de Vicar. l. c. p. 15.* admittit, & Palatini Electoris aliorumque exempla ſatis refellunt; aut noluiſſe eum Vicariis hanc facultatem largiri, cum *SCHILTERO* exiſtimant, quod *Aurea Bulla* aſſerere haut permittit: quamvis ſi verum fateri velimus, nec ex poteſtate, nec ex voluntate Imperatoris, ſed ex legum Germaniæ auctoritate, uſuque ac obſervantia Imperii Vicariorum Jura debeant æſtimari.

*Alii, jus hoc perſonæ Cæſaris cohærere.*

§. V.

Gravior, fortiorque altera videtur eſſe ratio, quam potiſſimum idem *SCHILTERUS* & Ill. *COCCEJ. ll. cc.* urgent. Hi enim

*Schilterus & Coccej. urgent, jus hoc vi coronationis competere Imperatori.*



(c) *Vid. infr. Corollar.*

(d) CORTREIUS, & GIOVANN. Ille in *Comm. ad Contordat. c. 2. n. 82.* hic *in Germ. Princip. cap. 4. §. 21. p. 113.*

Digitized by Google

enim cum Vicariorum in Reſervatis Imperatoris nomine exercendis poteſtatem agnoſcant, ea ſaltim excipiunt, *quæ vi coronationis illi competunt*; ea ſoli Cæſari propria, ac iis, qui ejus vice imperant, cum non coronari ipſos conſtet, haud concedenda eſſe contendunt. Nimirum patet ex ipſis antiquiſſimis precum diplomatibus, Imperatores, dum juris ſui cauſas recenſent, præter antiquam conſvetudinem & jus circa ſacra, *etiam ad coronationem Imperialem* provocaſſe. Cum nobis tam de jure, quam antiqua & approbata conſvetudine &c. competat, quod ex *coronationis noſtræ ſolennibus* in quolibet monaſterio &c. Ita *Carol. IV.* jus ſuum exponit in tabulis precum, quas *GOLDASTUS*, *FREHERUS*, *LEIBNIZIUS* & *CORTREJUS* exhibent. In Wenceslai quoque ac Rudolfi II. precibus *Diadematis regii* & *ſuſceptionis Coronæ Imperialis* mentionem fieri, diplomata, quæ ſuperſunt, oſtendunt. Ex quo inferre videtur Vir Celeberrimus, non ex reliquis Imperatorum juribus ad ea, quæ vi coronationis exercent, valide deduci ratiocinium. Ego vero vellem clarius paulo, diſtinctiusque expoſuiſſet *SCHILTERUS*, quæ demum ea ſint Cæſarum Jura, ad quæ non niſi ex coronatione eis jus competat: Ipſe ſane in hoc ſolo precum primariarum exemplo ſubſiſtit, ac non inanem præbet ſuſpicionem, alia defuiſſe, quæ pari ſpecie ad jura ex coronatione provenientia potuiſſent referri. Quæ vero ratio, cur, cum reliqua Imperatori ſtatim vi electionis competant, adeoque ad Vicarios etiam pertineant; jus precum primariarum peculiarem claſſem conſtituat, ex coronatione Imperatoris dependeat, Cæſari ſoli debeat vindicari? Quod ſi enim ad Papalem coronationem reſpexerunt Imperatores (a), dum Imperialis Coronæ mentionem fecerunt, vid. *COCCEJ. c. 8. n. 18.*, dudum ea in uſu eſſe deſiit ſalvo jure primariarum precum; ſin ad Aquis-

(a) Quod verba diplomatum, quibus *ſuſceptionis Coronæ Imperialis* mentio fit, innuunt, ac inde quoque colligi poteſt, quod poſt Car. V. illius in precibus non meminerunt Imperatores.

Digitized by Google

Aquisgranenſem, ad quam nominatim *Wenceslaum* provocaſſe deprehendimus (b), & de qua *SCHILTERUS*, puto, intelligi voluit, ne per eam quidem Imperatori electo jura demum Imperii conferri quisquam facile aſſeruerit, niſi quod olim forte vi coronationis quarundam Eccleſiarum facti fuerint Canonici, vid. *FREHERUM ad P. de Andl. Notit. Imp. p. 175.* & *CONRING. ad Bull. Innocent. c. 9. p. 310.* Quod jus a precibus primariis diverſum omnino eſſe, monuit *Dn. Præſes in Diſſ. Oligenio oppoſita th. 4.* Plerique ſane publici juris interpretes in eo conſentiunt, recens electo ſtatim Imperatori jus preces primarias porrigendi competere, vid. Exc. *MULDNER. Diſſ. Inaug. p. 38., MULTZ. P. 2. c. 33. m. 2. num. 243., MATER. d. Prec. prim. th. 59.* licet nondum coronatus ſit, *SCHWEDER. P. Sp. S. 1. c. 5. §. 16., TITIUS l. 5. c. 3. §. 8., FRITSCHIUS d. Prec. prim. c. 2. num. 48.* ipſe etiam Ill. *COCCEJ. c. 22. n. 6.* nec quisquam contrarium, quod ſciam, tuetur, præter *SINCERUM GERMANUM a LAPIDE. Mercur. Germ. p. 38. TEXTOREMque Jur. Publ. Cæſ. Tit. XI. n. 188.* (c) qui ipſe tamen Vicariis jus hoc recte aſſerit. Quin imo *SCHILTERUS*, dum addit, ratione *electionis* vel coronationis Cæſari jus primariarum precum tribui *l. 1. tit. 18. §. 5. & Diſſ. §. XI. p. 14.* non parum, ni fallor, ſententiæ ſuæ robur infringit, ſiquidem ea, quæ vi electionis Imperatori competunt, Vicariis denegare ne ipſe quidem Vir Celeberrimus, puto, præſumſit. Omitto alia, quæ, ſi inſtitutum id pateretur, prolixius hic poterant urgeri: nondum liquido conſtare, utrum *Carolus IV.*, dum ex coronatione ſibi



(b) Ap. GOLDAST. *Tom. I. Conſt. Imp. p. 374.* verb. preces primarias ratione noſtræ coronationis in Roman. Regem hodie videlicet die ſexta menſis Julii Aquisgrani divina favente clementia ſolenniter ſuſceptæ per civitatem & dioeceſin Spirenſem & Vormatienſem nobis &c. competentes (ita lege non competentem, ut GOLDASTUS habet) porrigere valeas, &c.

(c) Add. CONRING. *in Animadv. ad Bullam Innoc. X. p. 3'0.* & Autor *Medit. ad Inſtrum. Pac. ad Art. V. § 26. lit. y. p. 408.*

hoc jus aſſerit, eam cauſam hujus reſervati conſtituerit, an vero tempus exercitii tantum declarare voluerit? *Wenceslaum* vero ſolum de precibus in Diœceſi *Spirenſi* & *Vormatienſi*, quas porrigendi facultatem Comiti Palatino cedebat, agere: utrumque alias ſimul ac magis idoneas juris ſui cauſas recenſere. Unde nec olim *Rudolphus I.* coronationis mentionem fecit, nec *Ferdinandum III.*, *Leopoldum*, ac Auguſtiſſimum *Joſephum* ejus meminiſſe obſervare licet, haut obſcuro indicio, cenſuiſſe, eos, non vi coronationis demum jus hoc ſe conſecutos eſſe, ſed electos ilico id ſibi recte vindicaſſe. Quæ eo redeunt omnia, ut oſtendam, *fruſtra ea, qua vi coronationis Imperatori dicuntur competere*, a reliquis juribus ac reſervatis Cæſareis divelli ac *poteſtati Vicariorum* ex infirmo hoc ratiocinio nequaquam *ſubtrahi* poſſe.

§. VI.

Semel id tantum exerceri,

Alii ergo, ne nihil novi attuliſſe videantur, urgent, *ſemel tantum a quolibet Imperatore jus hoc exerceri* (a), adeoque ſecunda vice a Vicariis uſurpari non poſſe. Cujus ego argumenti vim capere nequeo. Nam ſi ſæpius Imperatores & quotiescunque liberet, vi precum primariarum, iis, quibus bene cupiunt, præbendas concedere poſſent, Vicarii quoque *tuendi Juris Cæſarei cauſa* ſæpius eadem poteſtate uterentur. Nunc cum Cæſaris unicæ tantum in ſingulis capitulis & primæ admittantur preces, unas illas & primas, cur, quæſo, vices eorum tenentibus denegabimus? An quia hæ erunt ſecundæ? Aſt non defuncti Imperatoris *nomine*, ſed ſuo preces exercent Vicarii (b): An quia non diuturnum eſſe ſolet eorum

(a) Schweder & Coccei. ll. cc.

(b) Nam ſemel quidem hoc jus locum tantum habet, ſed in unoquoque regimine, quale etiam eſt regimen Vicariorum, utpote quorum imperium, nec regno Imperatoris, qui deceſſit, neque ejus, qui eligendus eſt, accenſeri poteſt, ſed diſtinctum eſt, licet ſit temporarium, *vid. Exc. TIT. L. V. c. 9. §. 7. & 18.*

Digitized by Google

rum imperium ? Sed non deſunt interregna Germaniæ non adeo brevia, & Imperatores quoque conſtat extitiſſe, qui ſceptra ſuſcepta non ita multum poſt relinquerent, quibus nemo propterea hanc poteſtatem reddidit dubiam. Neque vero, quod nonnulli ſibi perſvadent, ſententia, quam defendimus, Imperatoriæ Majeſtati quicquam detrahit, quin potius jura Cæſaris ea confirmat tueturque, quod & ipſos Vicarios Imperatorum loco poteſtatem hanc exercere ea agnoſcat, & non infirmum præſtet argumentum jus hoc Auguſti contra *Pontificis* aſſeclas aſſerendi & vindicandi (c). *Vid. Dn. Præſ. Diſſ. cit.* §. *10.* Sed & intereſſe Imperatoris, ne forte interregni tempore jus hoc negligatur, amittaturque, bene monet *TEXTOR. Jur. Publ. Cæſar. tit. XV. n. 167.*

## §. VII.

Leviora ſunt, quæ ſuperſunt, pleraque. Extingvi hanc poteſtatem morte Imperatoris, *LIMNÆUS* dicit, quod & principium manifeſte petit, & cum reliqua jura Majeſtatica non pereant, improbabile prorſus eſt & *paradoxon. Exempla alii deſiderant*, quæ nec deſunt noſtris, nec, ſi deeſſent, juri quicquam, de quo nunc ſolo diſceptandum eſt, derogarent : Alii *Pontificis auctoritate* Vicarios deſtitui dixerint: qui cum fruſtra ſupponant, Imperatorem nomine Papæ & ejus conſenſu hanc poteſtatem tenere, veniam nobis dabunt, ſi ab aliis dudum dicta repetere nolimus. Denique literæ Cæſaris ad Capitulum Magdeburgicum, quas Conſult. *CORTREIUS* exhibet *ad Concordat. Imp. Frid. III. n. 74.* ita forte explicari poſſunt, ut Vicariis Imperii non prorſus hanc

**Extingvi morte Imperatoris.**



(c) Nimirum quia Vicarii abſque indultu Pontificis jus hoc exercent, conſequitur, ipſos etiam Imperatores conceſſione Papæ non opus habere. *d.* §. *10.*

Digitized by Google

hanc poteſtatem denegent (a): quamvis a ſolo Imperatore jus Aurea Bulla confirmatum ne quidem poſſe adimi, omnino manifeſtum eſſe, exiſtimemus. Habes L. B. potiſſima eorum argumenta, qui Preces Primarias Vicariis Imperii concedendas eſſe negant, nunc prout ordo Diſſertationis poſtulat, rationes, ex quibus jus hoc recte iis aſſeri poſſe, putamus, tuo judicio ſubjiciemus.

§. VIII.

Ac contra eos Vicariis poteſtas hæc aſſeritur

Primum ergo non parum nos in illam ſententiam trahit *præſumtio, quæ pro Vicariis eorumque poteſtate militat.* Ita enim prudentiſſimi quique publici Juris Interpretes cenſent: *Quæ Imperatori ex legibus ac uſu Germaniæ jura competunt, ea Vicariis quoque non eſſe deneganda, niſi expreſſa oſtendatur limitatio, lege Imperii definita*, vid. *Magnif. Ordinarium Dn. BERGER. Diſſ. de for. rer. ſing. th. 47., Dn. HORN. Publ. Juriſpr. c. 21. §. 10.* qualem, præter eam, quæ de jure conferendi feuda majora in A. B. occurrit, forte habemus nullam. Hoc omnium Imperiorum obſervantia, hoc ipſa ratio nos docet, cum uſu Germaniæ conſpirans, *eum, qui vicibus alicujus fungitur, nihil non poſſe expedire, quod ab illo recte ſuſcipiatur, usque dum poteſtatis probetur reſtrictio.* Inepta eſt propemodum eorum philoſophia, qui verba captant Bullæ Aureæ, & ex

1) Quia Vicariorum poteſtas omnia Imperatoris jura complectitur, quæ non expreſſa lege eis ademta ſunt.

(a) Nimirum ægre ferebat Imperator preciſtam Vicarii, ei, cui Ipſe preces dederat, præferri. Quamvis non diſſimulem, ex Reſcriptis Imperialibus quodammodo apparere, Imperatorem poteſtatem eam Vicariorum non omnino agnoſcere voluiſſe. Quo pertinent verba reſcripti ad Auguſtum Adminiſtratorem: *Nun iſt deiner Liebd. und männiglich gnugſam bekannt, daß dieſe der Precum Primariarum Gerechtſame einen Römiſchen Käyſer in ſignum ſupremæ poteſtatis & præeminentiæ alleine, und zwar gleich nach der Käyſerl. Crönung zuſtehet und unter deſſen reſervatis iſt*, & reliqua. Enimvero jus, quod A. B. Vicariis nominatim tribuit, non ab arbitrio Cæſaris dependet, ut adeo fruſtra hoc reſcriptum contra illos a CORTREIO allegari videatur.

Digitized by Google

exemplis ibi propoſitis terminos poteſtatis Vicariorum *conſtituunt*, aut, ſi Diis placet, *ſpeciale mandatum* in ea contineri, ſomniant. Neque reſervata quis hic excipiat, quæ Vicariis opponi non poſſe, ſupra monuimus. Preces certe primarias eo ſenſu Reſervatum Imperatoris dici, ac eorum exercitium Vicariis per leges Imperii ademtum eſſe, ne ipſi quidem adverſæ ſententiæ patroni affirmare audent. Quare tuto pro eorum poteſtate ferri poteſt ſententia, donec, qui diſſentiunt, rationes magis idoneas afferant. Viderint ergo alii, an ſatis ſibi conſtet Celeberrimus *SCHILTERUS*, qui cum in *Publ. Jur. prud. l. 1. t. 18. §. 5.* Vicariorum poteſtatem eo, quo Cæſaris poteſtas pertinet, extendi recte doceat, in *Diſſert.* tamen *de Vicariis. th. 11.* quod miror, ſtatuit, jus primariarum precum Vicariis *Imperii utique communicari poſſe, ſed ex conceſſione ſpeciali, quæ in A. B.* vix contineatur. Quid enim ſpeciali conceſſione opus eſt, ſi vel ipſo *SCHILTERO* judice, eadem omnino Vicariis & Cæſari jura competunt?

## §. IX.

Aſt vero ex *ipſa* etiam *Aurea Bulla*, quæ pauciſſima tantum Vicariorum jura commemorat, Imperii *Vicariis preces primarias* recte *vindicari*, arbitramur. Concedit enim ea ipſis poteſtatem *ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi*, qua jus primariarum precum contineri, nulli dubitamus. Sane, qui preces alicui concedit, & ad capitula dirigit, pro beneficio ibi obtinendo, is ad officium eccleſiaſticum præſentare omnino cenſendus eſt. Unde de his precibus intelligi debere *Carolum IV.* præter eos, quos *CORTREJUS* congeſſit *Obſ. ad Concord. Imp. Frid. p. 52. n. 70.*, *CRUS. ad A. B. c. 5. verb. beneficia. RUMELIN. ad A. Bull. Diſſ. IV. §. 17.*, *SCHROETER de Jur. Prim. Prec. c. 3. §. 8.*, *Dn. TITIUS l. 5. c. 9. §. 12.*, *Excell. MULDNER. Diſſ. Inaug. poſ. 4. p. 51.*, *SCHUTZ. de Vicar. th. 11.*, *FRITSCH. de prec. perm. c. 3. §. 8.*, *GEBHARD. d. S. R. Imp. diſc. 1. num. 45.*, *BECH-*

a) Quia Aur. Bulla Jus hoc Vicariis tribuit.

Digitized by Google

*BECHMANN. Ex. V. n. 160. p. 261. Id. Ex. XII. §. 28. n. 16. p. 509.*, *SVEVUS de Vicar. th. 13.*, *NERGERUS de Vicariis th. 5.*, *SPRENGER. Fontib. Jur. publ. p. 141.*, *ANDLER. Conſtit. Imp. T. II. p. 1585. verb. Pfalz.*, *ZWANZIG. Theat. prac. P. 2. p. 14.* aliique plures agnoſcunt, ii quoque, qui alias Vicariorum poteſtatem omnia Imperatoris jura complecti, negant, vid. *STRAUCH. Inſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 11. §. 10.* Imo ipſi Sereniſſimi Vicarii in precum diplomatibus, quæ *CORTREIUS* in *Obſervationibus ſuis ad Concordata n. 70. p. 52.* publici juris fecit, ad A. Bullam ſæpius provocare (a) non dubitarunt. Sed *SCHWEDERUM* audio, jus illud, cujus Aurea Bulla meminit, diverſiſſimum eſſe a jure primar. precum: mallem probari hoc a Viro Celeberrimo. Nam quod *Cap. XXXIII. §. 7.* ad jus patronatus Carol. IV. verba refert, id nondum ſatis ipſius ſententiam confirmat, cum nec, in quo conſiſtat hoc jus Cæſaris, ſatis doceat, nec jus precum primariarum hic excludi, evincat (b). Quod autem idem & *SCHILTERUS* quoque *d. Diſſ. th. 11.* urget, inter præſentationem ſolam & promotionem ipſam diſcrimen intercedere, id multo minus nobis objici poſſe, putamus. Neque enim præſentatio inanis ac inefficax in Aurea Bulla intelligitur, ſed qualis Cæſari competit, cujus & Vicariorum preces pleniſſimum ſortiuntur effectum: Nec preces primarias promotionis magis, quam præſentationis vocabulo exprimi ſolere, iidem Viri Celeberrimi hactenus oſtenderunt. Certe in formula Vicariatus a Ruperto Imper. Ludovico Palatino Com. conceſſi, quam *FREHERUS Orig. Pal. c. 17.* inſeruit, jus perſonas aptas & idoneas ad Canonicatus & præbendas ac alia beneficia eccleſiaſtica *præſentandi*, & eas

(a) Ita enim illa: Cum nobis Imperii Vicario ad Prædeceſſorum noſtrorum imitationem, ex Aurea Bulla &c. jus competat.

(b) Rectius Andler. *l. c.* utrumque præſentandi jus, & quod ex jure patronatus, & quod vi precum primariarum Cæſar exercet, Vicariis vindicat. *add. Diſſ. de Jurib. Vicar. §. 13.*

Digitized by Google

& eas & ea conferendi Vicariis permittitur, ubi Rupertum jus primariarum precum, præſentationis & collationis appellatione complecti, ipſe forte *SCHILTERUS SCHWEDERUSque* mihi dederint. Ex Inſtrumento vero pacis (c) poterat conſtare Viris Celeberrimis, *fruſtra* hic aliquod *inter præſentationem & preces primarias diſcrimen fingi;* ibi enim, qui preces Imperiales impetrarunt, ad vacans beneficium *præſentari* dicuntur, quo ipſo Aur. Bullam, ſi qua ſupereſſet vocabuli obſcuritas, declarari, & explicari intelligimus. Addit quidem *SCHILTERUS*, Auream Bullam ideo ad preces has non pertinere, quia hoc jus ipſi Cæſari exercendum ſit, aut cedendum. Verum cum hoc principium aperte petat, & ex hypotheſi, quam non concedimus, fruſtra adducatur, non eſt, cur ulterius in vindicando textu ſatis perſpicuo detineamur.

§. X.

Forte pauci admittent, quod nunc addimus, pro Vicariorum jure argumentum, *ex Palatinorum privilegiis*, ex tabulis, inquam, *quibus Cæſar* Comiti Palatino, eidemque in partibus Rheni Vicario, *non obſcure jus primariarum precum conceſſit* (a). Neque enim dubitamus, fore pleroſque, qui, rationem hanc in contrariam poſſe partem urgeri, exiſtiment. Hi nimirum cauſam negabunt habuiſſe Rupertum, cur in tabulis privilegii de hoc nominatim jure caveret, ſi absque ſingulari Cæſaris conceſſione ſibi Vicarii id potuiſſent vindicare. A quibus ſi obtinuerimus, ut ante ipſa diplomata diligentius expendant, quam de argumento hoc ferant judicium, facile putamus, nos dubitationi eorum ſatisfacturos eſſe. Namque inſpicientibus ea, de quibus loquimur, privilegia, ilico conſtabit, ea fere, quæ ibi commemorantur, omnia ita eſſe comparata, ut absque iis etiam a Vicario exerceri poſſint. Erant olim ea

(3) Ex Tabul. Palatin.

 Ger-

(c) *Osnabr. art. V. § 18. & 26.*

(a) Tribuunt enim Palatino jus ad Canonicatus & præbendas ac dignitates perſonas aptas & idoneas præſentandi & eas conferendi.

Digitized by Google

Germaniæ tempora, ea Ordinum Imperii conditio, ut plerorumque regalium uſum nullus ſibi arrogare auderet, niſi a Cæſare exoraſſet. Ubi, qui ſpurium legitimare, aut veniam ætatis ſuis concedere cupiebant, Principes Comitum Palatinorum Cæſareorum ſibi expetebant diplomata, ac ut tres ſibi quatuorve quotannis integritati natalium reddere liceret, vix ac ne vix quidem obtinebant. Vid. *MULLERI Annales p.57.*, *MONZ. c. V. §. 13.* ibique *Dn. THOMAS.* Eo tempore Vicarios Imperii ex re ſua duxiſſe, ſi *in primis in caſu abſentiæ* Imperatoris, ad quem Palatina diplomata ſe referunt, *jura, quæ ipſis competebant, exprimi ſingula*, ac denuo confirmari *curarent*, facile adducor, ut credam; cum nunc mutato pauliſper Reipubl. ſtatu, ubi legibus ac obſervantia Imperii poteſtatem ſuam tuentur, hoc ſubſidio non indigeant. Quare quicquid aliis videatur, intrepide nos quidem aſſeveramus, ea omnia, quæ in tabulis a *FREHERO*, *GOLDASTO*, *TOLLNERO* & *CORTREJO* exhibitis continentur, Vicariorum Rheni privilegia, etiam absque conceſſione Imperatoris, ſi foret, Vicariis & Saxoniæ quoque Electoribus, tanquam Imperatoris in terris Saxonici juris locum tenentibus recte tribui, in utroque & vacantis ſolii & abſentiæ Cæſaris caſu. Neque enim illa quicquam juris Palatino in Saxoniam largiuntur, neque diſparem utriusque Vicarii eſſe debere conditionem putamus, ac cum ex legibus Germaniæ omnia omnino jura, quæ Imperatori competunt, nominatimque non ſunt excepta, Vicarii exerceant, nihil in iis exprimi ac comprehendi, quod non utrique Vicario etiam citra privilegium competat.

§. XI.

Unde nec dubitarunt Potentiſſimi Vicarii, in primis ex quo *Pace Osnabrugenſi art. V. §. 18. & 26.* Imperatori, cujus jura tuentur, pleniſſime hac ex parte poteſtas priſtina reſtituta eſſet, competente ſibi facultate uti. Conſtat enim, *D. Jo. Georg. II.*, cum poſt exceſſum *Ferdin. III.* vices Imperatoris ſuſtine-

ſtine-

ſtineret, ad eccleſias ac Capitula Vicariatus ſui, primarias preces direxiſſe. Neque, quod, illas non omnes effectum ſortitas eſſe, *CORTREJUS l. c. p. 53.* commemorat, quicquam cauſæ noſtræ detrahit; Rationes enim, quas Vir Celeberrimus adducit, facile oſtendunt, ipſum jus Vicariorum Capitula in dubium non vocaſſe (a). Sed *nec primum D. Jo. Georg. II. uſum hoc reſervato* Imperiali eſſe, inde colligimus, quod ad antiquam ac ad ſe a Prædeceſſoribus Vicariis perlatam conſvetudinem *provocet*. Si igitur ipſi Imperatores non dubitarunt, eam potiſſimum juris ſui allegare cauſam, quis negabit Vicarios quoque non leve in ea fundamentum poteſtatis ſuæ poſſe collocare.

§. XII.

Sed ex his ſatis putamus conſtare de juſtitia cauſæ, quam tuendam ſuſcepimus, de jure ſcilicet Vicariorum ad beneficia eccleſiaſtica per preces primarias præſentandi, quod fruſtra a Viris quibusdam Celeberrimis in dubium vocari evincere ſumus conati. Nunc cum plerique, qui hanc partem juris publici attigerunt, *qua ratione Vicarii jus ſuum exercere poſſint*, tradere neglexerint, operæ nos facturos putamus pretium, ſi pauliſper in eo expendendo ſubſiſtamus, præfati Lectoris veniam, ſi non ubique probabiles ei noſtræ videantur *conjecturæ*. Ac illud quidem vix eſt, ut admoneamus, *quemvis Vicarium intra fines ſui muneris jus hoc exercere*, Palatinum in partibus Rheni, noſtros Principes in terris juris Saxonici, id eſt, ubi Saxonica jura olim fuerunt obſervata. Neque hic religionis, ſed regionis diſcrimen attenditur. Nam cum Cæſari hoc jus in Eccleſiis quibuscunque Sacris addictis competat, nihil

**Exercet autem hoc jus quilibet Vicarius in terris Vicariatus ſui citra religionis diſcrimen.**



(a) Inanis exceptio fuit, quam preciſtæ Vicarii Capitulum Eccleſ. Cathedral. Magdeb. oppoſuit, Vicarios ann. 1624. non fuiſſe in poſſeſſione preces ad hanc eccleſiam porrigendi, de qua *infr. §. 19.* videbimus. Interim apparet, Capitulum jus ipſum Vicariorum agnoviſſe.

Digitized by Google

nihil quoque obſtabit, quo minus Vicarius Pontificiæ religionis ad Collegia purioribus inſtitutis ordinata preces dirigat, cum contra Evangelico Vicario etiam ad Pontificiorum Capitula extendere jus ſuum liceat, ſi modo, quod ipſi Cæſari vi Veſtvalicæ pacis obſervandum eſt, Capitulis non objiciatur Canonicus alii religioni addictus, quam cui is, cujus in locum ſurrogatur, favebat (a). Conf. *VITR. l. 3. l. 7. §. 3.* Neque *Innocentii Bullam* quis nobis opponat, quem, cum ne hæretico quidem preces dari poſſe, præſumat, multo minus ut ab eo preces concedantur permittere, facile credimus: ſupra enim jam fuit monitum, nihil Cæſares, adeoque etiam Vicarios nihil in hoc jure exercendo Papæ beneficio debere; ac Principes quoque Imperii ſine Sacrorum diſcrimine in ſuis provinciis, ubi hoc jus exercent, ſua poteſtate uti videmus. Add. *TEXTOR. Jus Cæſ. Tit. XV. n. 193.* cum quo tamen in eo conſentire non poſſumus, quod de jure primariarum precum, quæ ad Capitula Catholica diriguntur, Inſtrumento Pacis nil quicquam cautum eſſe, exiſtimet (b).

## §. XIII.

Eodem modo, quo ipſe Imperator.

Diximus, eodem modo Vicarios jure hoc uti, quo id a Cæſarea Majeſtate exercetur, quod cum vi *Inſtrum. Pacis* & ad *immediata §. 18.* & ad *mediata capitula* pertineat *d. §. 26.* ſine dubio ipſis idem jus & eodem modo erit tribuendum, ſi tamen, quod ad mediatas eccleſias attinet, Cæſaris poſſeſſio quoad

(a) Ita enim cavent tabulæ *pacis Veſtval. art. V. §. 18.* verb. dummodo decedente Aug. Conf. addicto in ejus religionis Epiſcopatibus Conf. Aug. addictus &c. precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione ſeu Epiſcopatibus ſeu aliis locis immediatis precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi beneficium vacans religionis conſors poſſederit.

(b) Ad ea enim *§. 18. & 26. art. V.* æque ac ad Eccleſias Proteſtantium pertinet.

Digitized by Google

quoad annum proximi ſeculi 24. poſſit doceri (a). Quod cum *d.* §. nominatim cautum ſit, mirari omnino ſubit, cur *SCHWEDERUS P. Sp. S. 1. c. V.* §. *18.* mediata Capitula, quæ Principibus Imperii ſubſunt, Imperatoris poteſtati ſubducat, quem recte eo nomine notavit *Dn. TITIUS l. V. c. 3.* §. *29.* Ceterum in ſuis quoque territoriis Vicarios hanc poteſtatem recte uſurpare, dubio forte caret. Cum enim Cæſaris & domini territorii preces ſe invicem non excludant, Vicarios quoque, & vice Cæſaris alias, & tanquam territorii dominos alias preces poſſe ſuis Capitulis offerre, cenſemus. Sane duplices preces ex diverſis cauſis uni Eccleſiæ porrigi nihil prohibet, ut mirer *CORTREJUM*, Imperatori antiquum jus ad Eccleſiam Magdeburgenſem preces concedendi ea de cauſa vocare in dubium, quia nunc Regias Eccleſia hæc accipere teneatur, *ad Concord. Frid. n. 78.* (b). Nos ita ſentimus, in alienis quidem Eccleſiis Vicarios cum Dominis territorii concurrere, in ſuis provinciis duplici nomine hoc caſu jure primariarum precum uti poſſe. Utraſque autem citra menſium diſcrimen exerceri, cum ab aliis dudum fuerit monitum, Oligenium, non eſt, quod moremur, qui ſine Pontificis indultu in menſibus Papalibus nil quicquam a Cæſare ſuſcipi poſſe, clamat §. *60 ſq.* Etenim



(a) In immediatis enim poſſeſſio *ann. 24.* non requiritur, de quibus generaliter cautum §. *18.* Ubi S. Cæſarea Maj. exercuit jus primariarum precum, exerceat etiam in poſterum. Cæterum non requiri etiam in mediatis Capitulis ut actu ipſo dicto *anno 24.* Imperator jus hoc exercuerit, ſi modo in poſſeſſione juris hujus conſtitutus fuerit, & per ſe facile apparet, & recte monet *Autor Medit. ad Inſtr. Pac. ad d.* §. *26. verb. ann. 1624. p. 407. lit y.* Interim & in *d.* §. *26. & in. 18.* non ad jus exercendi, ſed ad poſſeſſionem reſpexiſſe paciſcentes, probabile eſt. conf. *Ill. THOMAS. d. nat. precum Juridic.* §. *40.*

(b) In primis cum Imperator jus hoc & ante & poſt Pacem Veſtval. in ea Eccleſia exercuerit, antequam ea in poteſtatem Sereniſſ. Elector. Brandeburg. perveniret.

preces Imperiales ante diſcrimen utrorumque menſium jam uſitatas ad certum tempus reſtringi non poſſe, fuſius alibi deduxit *Dn. Præſes.* Atque hoc ad eum quoque caſum pertinere, putamus, quo menſes hos Papales in terris ſuis ſibi Princeps vindicat; licet enim is ſuas preces, quas vi poteſtatis territorialis concedit, ad præbendas in ordinariis tantum menſibus vacantes dirigat, Cæſaris tamen & Vicariorum jus, quod ne Papales quidem menſes attendit, etiam Domini territorii menſes ſine dubio afficiet.

§. XIV.

**In caſu abſentiæ Imperatoris, ſi ipſe hoc jure nondum uſus ſit.**

Ceterum conſtat, duas potiſſimum Vicariatus cauſas eſſe, mortem Imperatoris & abſentiam, ſub quibus ſimul reliquos caſus, quibus aut vacat Imperium, aut Cæſar ei præeſſe impeditur, complectimur, vid. *Magnif. Dn. BERGER. de Vacuo th. 57., Magnif. Dn. HORN. c. 21. §. 3., D. KREGEL. de Vicar. Saxon. in caſ. abſ. Imper. §. 26. ſq.* Utroque caſu utrique Vicario jus firmum competit, abſenti ut Cæſari in eorum præjudicium alii vices ſuas delegare nequaquam permittatur: Ergo precum exercendarum poteſtas quoque non ad caſum vacantis ſolii reſtringi poteſt, ſed etiam ubi peregre abeſt Rex Romanorum, *wenn der König von teutſchen Landen fährt,* ipſis merito relinquitur. Cujus rei ex A. B. & privilegiis Palatinis, quæ de caſu abſentiæ agunt, facile fides poſſit reddi, niſi alias ſatis conſtaret, in dubio eandem poteſtatem, quam defuncto Imperatore habent, etiam in caſu abſentiæ Vicariis eſſe tribuendam. Male ergo *KNICHENIUM* putamus *Oper. Pol. l. 2. p. 3. S. 1. th. 16. n. 6.* preces Vicariorum ad caſum vacantis regni reſtringere, imo ne *TEXTORI* quidem concedimus *c. XV. n. 169.* Cæſaris abſentis jus non excludi. Quoad juris ipſius tamen exercitium non leve inter utrumque Vicariatum diſcrimen occurrere lubentes meritoque fatemur, cum interregni tempore ad omnia omnino capitula Vicariorum jus pertineat, quod abſentibus Imperatoribus ita forte reſtringi fas eſt, ut, ubi Cæſar jam ipſe preces

obtu-

obtulit, aliæ a Vicariis porrigi nequeant. Quamvis enim etiam, quæ abſentiæ tempore eis competit imperii adminiſtratio, non ex voluntate Imperatoris, ſed ipſo jure ipſis deferatur, adeoque poteſtas quoque eorum hoc caſu pro lubitu a Cæſare coarctari nequeat, & interregnum etiam, quando Rex abeſt, peculiaris regiminis rationem habere videatur (a); attamen, cum hoc jus ab uno Imperatore, non niſi ſemel exerceatur, æquitas vix patitur, in abſentiæ, qui ſæpius evenire poteſt, caſu, iisdem denuo Eccleſiis preces præſentari. Neque enim, quod ipſi Cæſari præſenti non liceret, abſentis vices gerentibus in præjudicium aliorum tribuendum eſt. Conferatur Exc. *MULDNERUS d. Diſſ. p. 43.*

§. XV.

Quæ cum, quod ad caſum abſentiæ attinet, ſatis recte ſe habeant, non tamen eadem alterius Vicariatus ratio eſſe videtur. Equidem Illuſtr. Comitem de *HOHENLOE & GLEICHEN* in *Diſſ. STOECKENIO Præſide de precibus primariis* habita *qu. 4.* Vicariis eo demum caſu jus hoc relinquere, quo decedens Imperator id non exercuit, vel exercere non potuit, *SCHWEDERUS* tradidit *in Addit. ad RUM. A. B. Diſſ. IV. th. 17. l. a. p. 102.* ſed quo minus ſententiæ huic noſtrum adjiciamus calculum, multas gravesque habemus cauſas. Scilicet jus, quod Cæſari competit, morte ejus omne extingvitur, adeoque nec a ſucceſſore ejus, nec a Vicario hoc nomine preces offerri poſſe, probabile eſt: aut ſi quis etiam hoc nomine iis preces primarias largiatur, eas tamen a precibus Vicariorum diverſas eſſe, putamus. Illæ enim citra diſcrimen ad omnes omnino Eccleſias poſſunt dirigi, cum non defuncti Cæſaris nomine, ſed proprio Vicariorum jure exerceantur. Siquidem illi non tam prædeceſſoris perſonam referunt, quam Interregem, ac Imperatorem quaſi temporarium exhibent, & non tan-

In caſu vacantis Imperii in omnibus Eccleſiis.

(a) Quod ipſum tamen in caſu abſentis Imperatoris non æque expeditum eſt, atque in caſu ſolii vacantis.

Digitized by Google

tantum in reliquiis a defuncto nondum occupatis, ſed in omnibus Majeſtatis Imperatoriæ partibus eodem cum ipſo jure utuntur.

§. XVI.

Idem Princeps Elector, ſi ſæpius Vicariatu fungatur, ſæpius preces primarias concedit.

Imo poteſt evenire, ut, quod nulli Imperatori licet, id Vicario imperii denegari nequeat, ut ad unam eandemque Eccleſiam plus una vice preces primarias ſuo nomine dirigat. Si enim ſæpius vacante ſolio idem Elector Vicariatu fungatur, preces ipſius iteratæ validæ omnino erunt, licet jam ante ab eodem aliæ fuerint exhibitæ. Contigit hoc Sereniſſimo Principi (a) *glorioſſ. memor. D. Joanni Georgio I.* quem & poſt *Rudolphi* obitum an. 1612. Imperatoris geſſiſſe vices, & iterum ſublato Rege *Matthia* an. 1619. eosdem ſuſcepiſſe faſces, annales memorant; unde nullus dubito, eundem utroque caſu preces primarias ad quaslibet Eccleſias potuiſſe porrigere, niſi uterque Vicariatus in ea incidiſſet tempora, ubi ipſis Imperatoribus in primis a Proteſtantibus Statibus Regium hoc jus in dubium vocabatur. Absque hoc ſi fuiſſet, non obſtitiſſet ei primus Vicariatus, quo minus denuo ſua uteretur poteſtate. Quoties enim Vicariatum ſuſcipiunt Interreges Germaniæ, toties quaſi de novo omnia jura Imperii tuenda, defendenda ac conſervanda ſuſcipiunt.

§. XVII.

Si modo tempore interregni præbenda vacet.

Quia tamen plerumque non adeo diuturnum eſſe ſolet Vicariorum Imperium, cum vi Aureæ Bullæ ſine mora de novo Rege eligendo Proceres Germaniæ teneantur eſſe ſoliciti, facile poterit evenire, ut vacante Imperio in haut paucis Capitulis nulla vacet præbenda. Fac ergo, directas eſſe a Potentiſſimo Vicario hoc caſu preces, num eæ erunt efficaces, ſi novo

(a) Gotterus idem Auguſto contigiſſe ſcribit *Diſſ. de Statu Saxon. ſub Auguſt.* Fruſtra. Neque enim eo imperante interregnum fuit. Sed in locum Auguſtorum Cæſares ſucceſſerunt Maximilianus & Rudolphus.

Digitized by Google

novo demum Imperatore electo præbenda aperiatur? an vero ſtatim uti Vicariatus, ita etiam precum harum effectus exſpirabit? Qua de re ita ſentimus, ſi Imperator electus alias eidem forte Capitulo preces offerat, preciſtam Cæſaris licet poſterior ſit tempore, omnino eſſe præferendum. Competit enim Cæſ. Majeſt. ſtatim a tempore electionis jus offerendi preces, quod Vicarii nec cupiunt, nec poſſunt impedire. Atque hanc puto cauſam eſſe, cur contradixerit Imperator ap. *CORTREJUM ad Concord. n. 48. pag. 45. n. 70. pag. 53.* precibus Vicarii Saxonici, & quo minus eæ effectum ſortirentur, impediverit. Sane ſi, Cæſare ante vacantiam beneficii mortuo, preces ejus effectu deſtitui, verum eſt, quod plerique non ſine rationibus tradunt, vid. *TIT. l. 5. c. 3. §. 34.* Vicariorum quoque preces, ſi Interregni tempore nulla præbenda vacet, electo Rege expirare, probabile eſt. Sed num in caſu abſentiæ exhibitæ a Vicario preces reditu Regis extingventur? Non minus id dubium, incertumque eſt. Itaque utramque quæſtionem nos in medio relinquere, quam decidere malumus. Sed vide, quæ diximus ſupra §. XIV.

§. XVIII.

Secus omnino eſt, ſi præbenda tempore interregni vacaverit, tunc enim preciſtam Vicarii, qui forte nondum receptus eſt, preciſtæ Imperatoris præferri debere, putamus. Licet enim deſierit poteſtas Vicarii, antequam oblatæ preces ſortiuntur effectum, Majeſtati tamen Cæſareæ incumbit tueri Vicariorum jura, atque ut preces ne effectu deſtituantur, providere. Neque Cæſareæ preces in præjudicium Vicariorum poterunt porrigi ad præbendam, quæ non vacat amplius, nec poſt electionem Imperatoris vacare cœpit. Quamvis alias, ſi nullæ ſint a Vicario porrectæ preces, facile largiar, Cæſarem etiam in beneficiis, jam antequam Imperio admoveretur, vacantibus poteſtate ſua uti; unde & Vicariorum preces non ad eas tantum, quæ Interregni demum tempore vacare cœperunt,

Quid ſi ante Interregnum ea vacare cœperit?

perunt, ſed & ad antea jam apertas præbendas, ſi modo res adhuc ſit integra, pertinere credimus.

§. XIX.

Non requiritur in Vicariis posſesſio d. an. 1624.

Illud vero plane admitti nequit, quod Viro Conſ. *CORTREJO* venit in mentem *in Comm. ad Concord. nat. Germ. c. 2. n. 71. p. 54.* Vicarios ad eas tantum Eccleſias preces ſuas dirigere poſſe, quarum intuitu an. 1624. aut ſaltem ante Pacem Osnabrugenſem in poſſeſſione juris hujus exercendi fuerint conſtituti. Cæſaris novimus poſſeſſionem Inſtrum. Pac. requiri, ſaltim quod ad mediata capitula attinet, cum in immediatis liberior ei poteſtas relinquatur, ſed in Vicariis eandem forte præter Virum Clariſſimum nemo unquam deſideravit. Quis vero dubitet, quin illis quoque Cæſaris proſit poſſeſſio, qui Cæſarum jura exercent & tuentur? Imo cum fieri poſſit, ut per integra ſecula nulli Vicariatui, ob Electionem Rom. Regis locus ſit, incongruum foret exceptionem deficientis poſſeſſionis Vicariis objicere. Cæterum Cæſareæ Majeſtati atque ſic Vicariis quoque jus hoc circa Sacra ſalvum eſſe putamus, etiam in mediatis Eccleſiis, licet ann. 624. non actu id exercuerit, ſi modo citra controverſiam exerceri potuerit & in poſſeſſione, ut loquimur, juris hujus fuerit, cum alias absque ratione, ſi forte nulla eo tempore vacaverit præbenda, ſuum jus Cæſari adimeretur. Uti enim *MULZIO* nemo concedet, obſervantiam dicti anni ad preces primarias plane non pertinere *p. 2. v. 33. n. 252. p. 943.* ita *§. 26. art. V. Inſtrum. Pac.* mentem intueri potius, quam verba captare convenit. Ceterum ubi Cæſari jus hoc non competit, ibi etiam Vicarios id ſibi haud vindicare vel tacentibus nobis intelligitur.

§. XX.

An huic juri præſcriptio opponi poſſit?

Tantum autem abeſt, ut poſſeſſionem Vicariorum requiri exiſtimemus, ut potius ſalvam eſſe eis hanc poteſtatem cenſeamus, in illis quoque Capitulis, ubi nunquam omnino eam exercuerunt. Non urgebimus illa communia: nonuſum

uſum jus non tollere: in actibus meræ facultatis, præſcriptioni non eſſe locum. Nec cum *MATERO* & *FRITSCHIO* nobis res erit, licet facile pateat, fruſtra ab iis ex Inſtrumento Pacis contrariæ ſententiæ peti præſidium (a). Add. *HERM. c. XI. qu. 7.* Hoc nobis ſufficit, ne objici quidem ipſis poſſe præſcriptionem, ubi Cæſares preces direxerunt. Sed & cum ipſis Imperatoribus jus hoc pace Veſtvalica quaſi reſtitutum fuerit, Vicarii novum veluti poteſtatis ſuæ fundamentum nacti eſſe videntur. Unde *D. Jo. Georg. II.* qui ſolus poſt pacem hanc conditam Vicarius in terris juris Saxonici extitit, jus ſuum fortiter urgeri non deſtitit, ac Decus hoc Gentis ſuæ ſtrenue aſſeruit vindicavitque.

## §. XXI.

**De forma precum Vicariorum.**

De forma precum, quæ a Vicariis exhibentur, ſupereſt, pauca ut addamus. Quæ ad Eccleſias Magdeburgenſes directæ fuerunt a Divo *Jo. Georg. II.*, eas *CORTREJUS* exhibet (aa). unde conſtare poteſt, eodem fere modo, quo Cæſareæ concipi ſolent, illas conſcriptas eſſe. Initio Sereniſſimus Princeps ſe poſt Ferdinandi III. Imperatoris obitum, præter votum & voluntatem Vicariatus ſubiiſſe officium, adeoque omnia S. R. Imperii jura & conſvetudines conſervare debere, commemorat. Dein ad prædeceſſorum ſuorum imitationem ex Aurea Bulla & inveterata conſvetudine jus ſibi precum primariarum vindicat, ejusque tuendi cauſa preciſtæ ſe

D 2 eas

(a) Nimirum FRITSCHIUS *de Precib. Prim. c. 4. num. 16.* quem ſequitur MAYERUS, de præſcriptione in genere agit, ac per eam jus precum primariarum amitti, exiſtimat. Sententiæ huic ut fidem faciat, ad Inſtrum. Pac. Osnab., ſed fruſtra provocat, ſiquidem *art. V. §. 18.* non evincit, præſcriptione Cæſaris jus extinctum fuiſſe, ſed pacto Imperatoris & Ordinum ad eas Eccleſias reſtrictum, in quibus in poſſeſſione juris hujus fuit conſtitutus.

(aa) Ad *Concord. l. c. n. 70.* quarum exemplum Diſſertationi huic infra ſubjiciemus.

Digitized by Google

eas conceſſiſſe, ſignificat. Poſt Capitulum, ad quod diriguntur preces, adhortatur, & pro conſervatione jurium Imperii ſibique competentium requirit, ut beneficium vacans aut proxime vacaturum præſentato conferant & aſſignent, denique repetita admonitione, ſe quin preces finem conſecuturæ ſint non dubitare oſtendit. Cæterum quæ preciſtæ obſervanda, quomodo preces Capitulis offerendæ ſint, quis ſit earum effectus, hoc loco recenſere nihil attinet. Cum enim nullum fere hac ex parte inter Imperatoris & Vicariorum preces intercedat diſcrimen, ab aliis paſſim commemorata hic cum tædio Lectoris repetere nolumus.

## §. XXII.

De Conjuge Vicarii, utrum jus habeat precum primariarum.

Nunc, dum ad finem propoſitum properamus, in mentem veniunt Collegia Virginum, beneficia ſequioris ſexus, in quibus, an *Conjux Vicarii*, quæ *Auguſtæ* quodammodo *Vices ſuſtinet*, jus primariarum precum exercere poſſit, Coronidis loco expendere juvabit. Sane Electorum Brandenburgicorum, nunc Boruſſiæ Regum, Conjuges in omnibus Virginum cœnobiis jus hoc ſibi vindicare, *SCHILTERUS in addit. ad Tr. d. lib. Eccl. Germ.* & *CORTREJUS* docent, *Obſ. ad Conc. n. 79.* in Ducatu Magdeburgico quoque, licet in eo Imperatrices id nunquam exercuerint, vid. *CORTREJ. d. l.* & *n. 86.* Auguſtæ vero preces primarias plerique aſſerunt publici juris interpretes, vid. *SCHWEDERUM p. 1. Sp. S. 1. c. 5. §. 16., TITIUM. l. 5. c. 3. §. 33., Magn. Dn. HORN. c. 41. §. 33., OBRECHT. ad Inſtrumentum Pacis art. V. §. 18., PAURMEISTER. lib. 1. cap. 4. n. 41.* Imo Tabulas Eleonoræ Frider. III. Conjugis *FRITSCHIUS d. Aug. cap. 8. §. 3., MULZIUS, MATERUS, SIGISMUNDUS FERRARIUS*, aliique exhibent, unde *STRAUCH. lib. 3. tit. 33. §. 4.* ait, Auguſtam hoc jus olim habuiſſe, adeoque adhuc habere præſumi, quem ſequitur Ill. *COCCEJ. cap. XXII. §. 6.* De quo ſi ſatis certo conſtaret, equidem non video, quid impediret, quo minus etiam Vicariorum Conjuges id ſibi poſſent tribuere. Licet enim Vicariatus

De precibus primariis Auguſtæ.

jus

jus Electoribus ſolis competat, ſolent tamen Principum Conjuges non modo dignitate Maritorum frui, ſed & in juribus exercendis non raro aliquam partem ferre. Verum nos nihil hic definire audemus, eam potiſſimum ob rationem, quod ipſius Auguſtæ uſus non ſatis certus eſſe nobis videatur. Recentiora Diplomata Dd. non afferunt, & illud unicum Leonoræ, cui præſumtio *STRAUCHII* innititur, dubium aliis ſuſpectumque non ſine cauſa videtur. Conf. Magnif. *Dn. HORN. cap. XIX. th. 4.* Si enim, quod Celeberrim. *WAGENSEILIUS* monuit *d. Offic. Imp. cap. 7. §. 49.* aliæ literæ, quæ ſub hujus Auguſtæ nomine circumferuntur, dubiæ fidei ſunt, quod in iis inuſitatæ Aulæ Cæſaris formulæ: *Allezeit Mehrern des Reichs*, it. *unſers Käyſerthums*, occurrant; conf. *HENNIG. ad BECKER. lib. 2. cap. 5. p. 180.*, ſane idem poterit precibus a *MULZIO* aliisque exhibitis opponi, inprimis cum ipſos Imperatores etiam fœminis preces primarias conceſſiſſe, *SCHILTERUS in addit. ad Tr. d. Libertat. Eccl.* oſtendat. Add. *Illuſtr. Bar. a LYNCKER.* ad *SCHWEDER. l. c.* Quare nos hæc in medio relinquimus, atque ſolutis Divino Numini gratiis, quæ per ingenii tenuitatem de graviſſima materia meditari licuit, æquæ cenſuræ, ac judicio Tuo L. B. ſubjicimus. Ceterum cum ſupra *th. 4. & 12. primariarum precum* facta ſit mentio, *quæ a Principibus in ſuis territoriis ad Capitula dirigi poſſunt*, pace Tua licebit, quid de iis ſentiamus, hiſce exponere

## COROLLARIIS.

### I.

JUs preces primarias ad ſui territorii Capitula porrigendi, Principibus Imperii vi Superioritatis Territorialis, recte vindicari, neque hac ratione Imperatoris aut Vicariorum poteſtati quicquam detrahi, exiſtimamus.

II.

Neque ſolis Electoribus, quod non nemo exiſtimat, competit, ſed reliqui quoque Principes ſeculares æque atque Eccleſiaſtici id ſibi vindicare poſſunt, imo haut paucos etiam id dudum ſibi aſſeruiſſe, conſtat.

III.

Sed nec Ordinibus, qui purioribus Sacris addicti ſunt, proprium eſt; verum citra Sacrorum diſcrimen, ab iis, qui Pontificis jura venerantur, non minus, quam ab illis, qui ejus autoritatem haud agnoſcunt exerceri poteſt (a); ex quo apparet, fruſtra id *ad jura papalia Principum Proteſtantium* a quibusdam referri.

IV.

Jure hoc ſuo uſi dudum ſunt Electores, Moguntinus (aa), Colonienſis (b), Palatinus (c) & Brandeburgicus. Imo & Saxoniæ Electores Sereniſſ. aliquando & Epiſcopos Lubecenſes id ſibi aſſeruiſſe, ex ipſis precum diplomatibus mihi conſtat.

V.

Atque hoc jus non tantum ad ea Capitula pertinet, in quibus Cæſar vi Inſtrum. Pac. Veſtvalicæ *art. V.* §. *26.* eo uti impeditur, ceu *Dn. TITIUS l. 3. c. 6.* §. *72. & 82. l. 5. c. 3.* §. *29.* ſentit, ſed in iis quoque,

(a) Quamvis facile largiar, Proteſtantes & liberius & plenius jure ſuo uti.

(aa) Vid. Perill. *Aut. des Europ. Herolds P. 1. p. 127.*, *D. HORN. c. 27.* §. *4.*, *SCHILT. de libert. Eccl. Germ. l. 6. c. 5.* §. *11.*

(b) CHOCKIER. *Schol. ad Preces primar. Ferd. II. Sect. II. lit. A.*

(c) FREHER. ad ANDL. *l. 1. c. 6.*

Digitized by Google

que, ubi Cæſar. Maj. id olim exercuit, hodieque exercet, preces Domini Territorii cum precibus Imperialibus concurrunt.

VI.

Pacis Veſtvalicæ diſpoſitionem, quæ ad Imperiales preces tantum pertinet, Principes quoad preces, quas tanquam Territerii Domini dirigunt, attendere non tenentur.

VII.

Integrum ipſis quoque eſt Conjugibus jus precum primariarum in Cœnobiis Virginum permittere, etiamſi vel maxime aſſeras, Auguſtam nunquam jus primariarum precum exercuiſſe.

VIII.

Neque dubitamus, quin Principes, qui poteſtate ſua hactenus uſi non ſunt, eam ſibi vindicare poſſint, modo Conventio aut privilegia Capitulorum eis non obſtent. Quæ tamen quoties hoc jus nominatim non excludunt, non facile in ejus præjudicium allegari poſſunt.

IX.

Preces ergo, quas Potentiſſ. Rex Boruſſiæ Elector Brandenburgicus in terris ſuis Capitulis porrigit, non conceſſione Imperiali, ut *SCHILTERUS* (a) exiſtimat, neque ſingulari præeminentia, quod *CORTREJUS* (b) fingit, neque ſola conſvetudine anti-

(a) *In add. ad Tract. de libert. Eccleſ.*
(b) *Ad Concord. l. c. n. 82.*

Digitized by Google

antiqua, ad quam plerique provocant (c), ſed Superioritate Territoriali, quod JCtus Celeberrimus *ZIEGLERUS* dudum bene obſervavit (d), niti cenſemus. Add. *Perill. Auctor des Europ. Herolds p.* 282.

X.

Sed cur Imperatoris preces in Marchia Brandenburgica non admittuntur, ſi Regiæ Superioritatis Territorialis jure porriguntur? Cauſam reddit *Ill. COCCEJUS c. XXII. n.* 7. quia Imperatores olim ibi jus hoc non exercuerunt, anno nimirum 1624. Vid. *Inſtr. Pac. art. V.* §. 26. cum quo conſentit WILLENBERGIUS *de Jure Principi circa territor. negat. c. 2. th. 7.*

XI.

Quæ ratio Viri Illuſtris cum ad Capitula Magdeburgenſia aliaque, in quibus Cæſar ann. 1624. in poſſeſſione juris hujus exercendi conſtitutus fuit, minime pertineat, fruſtra putamus a *CORTREJO* etiam in illis Cæſari, ac Vicariis jus primariarum precum denegari, fruſtra etiam a *GIOVANNI*, ſi ita quidem vult intelligi, aſſeri, Inſtrumentum Pacis in terris Brandenburgicis hic non attendi.

XII.

Neque Clar. OCKELII argumenta aliud perſvadent, qui *Tr. de præſcr. immemor. c. 4.* jus Cæſaris exſpiraſſe putat, ex quo Archiepiſcopatus Magdeb. Ducatus rationem habere cœperit. Preces enim Imperiales ad Ducum terras & Eccleſias non minus, quam ad Archiepiſcoporum capitula, pertinent.

SE-

(c) Vid. SCHEPLIZ *Conſv. Marcb. P. 1. tit. 1. §. 2.* Neſcio tamen, an ante ea tempora, quibus ſacra puriora reſtituta ſunt, Electores Brandeb. hoc jus ſibi aſſeruerint. (d) Ap. MEYER. *de prec. prim. th. 128.*

Digitized by Google

# SEQUUNTUR

## I.

## Div. Jo. Georg. II. S. R. Imp. Vicarii preces primar. ad Capitul. Eccleſ. Metrop. Magdeburg.

NOs DEI gratia Joannes Georgius II., Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, S. Romani Imperii Archi-Mareſcallus & Elector, & ejusdem Imperii iis *in locis, quæ jure utuntur Saxonico* (a), Vicarius, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, nec non ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Burggravius Magdeburgenſis, Comes Marchiæ & Ravensbergæ, Dominus in Ravenſtein, &c. Reverendis, Nobis Dilectis N. Præpoſito, Decano & Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ Magdeburgenſis *gratiam Noſtram Electoralem, & omne Bonum* (b). Quum poſt exceſſum Divi Impera-



(a) Retinuit in his literis, aliisque diplomatibus Latino idiomate ſcriptis Sereniſſ. Vicarius Saxonicus verba Aureæ Bullæ: *in locis, quæ jure Saxonico utuntur.* Quæ verba non tantum terras priſci & ampliſſimi Saxonici Ducatus complectuntur, ut Ill. COCCEI. *c. 16. num. 9. & Autor Meditat. ad Cap. Joſ. a. 35.* exiſtimant; ſed etiam cæteras, quæ jure Saxonico olim uſæ fuerunt, aut vicariatui Palatino non ſubſunt, nec ab utroque exemtæ. add. LYNCKER. *ad A. B. p. 42.* In diplomatibus Germanicis hæc ita explicantur: in denen Landen des Sächſ. Rechtens und am Enden in ſolch Vicariat gehörig.

(b) Gnade und alles gutes. Ita & in precibus Divus Imperator Joſephus gratiam Cæſaream & omne bonum Capitulis apprecatur, u. OLIGEN. §. 3. add. infr. *Preces Epiſcopi L. n. 2.*

peratoris Ferdinandi III. glorioſæ memoriæ, S. Romani Imperii iis in locis, quæ jure utuntur Saxonico, Vicariatus officium præter votum & voluntatem, vigore *Aureæ Bullæ* ſubivimus, Nos ſemper ſumma ope *omnia Sacri Romani Imperii jura* & conſvetudines *conſervare decet* (c). Quare quum nobis Imperii Vicario *ad Prædeceſſorum Noſtrorum imitationem* (d) ex prædicta *Aurea Bulla* (e) & *inveterata conſvetudine* (f) jus competat

(c) Nimirum omnia jura imperii, quæ Imperator exercet & tuetur, etiam Vicarii ſibi recte vindicant, ut alibi plenius evici. Cæterum in formulis precum primariarum D. Ferdinandi II., quas CHOCKIER & FRITSCHIUS exhibent, ad eundem fere modum Imperator profitetur: Summa ſemper ope ſe niti omnia S. Romani imperii *intemerata* jura & *laudabiles* conſvetudines conſervare.

(d) Ex his verbis apparet, *dudum Vicarios imperii jus hoc ſibi vindicaſſe*, ac poteſtatem hanc exercuiſſe: quod & *privilegia Palatinis* Comitibus, *tanquam Vicariis* imperii, *conceſſa* evincunt. add. ſupr. §. *11. bujus Diſſert.*

(e) Ad hanc merito Seren. Vicarius provocat. Verba enim A. B. *c 5.* §. *1.* quæ *ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi* poteſtatem Vicariis tribuunt, ad jus precum primariarum pertinere, §. *9. ſeq. buj. Diſſ.* oſtendi.

(f) Ad hanc ſolam provocat Div. Joſephus *in literis antea citatis.* verb: *Cum nobis ad prædeceſſorum noſtrorum imitationem ex inveterata conſvetudine jus competat*, &c. ad eam quoque ſolam RUDOLPHUS olim provocavit, v. CHOCKIER *Schol. ad Indult Ferdin. II. p. 4.* Ferdinandus tamen II. poſt verba: *ex inveterata conſvetudine*, addit *etiam apoſtolica autoritate roborata*, ob indultum a pontifice Paulo V. impetratum. Quod non opus eſſe, Divi *Leopoldus* & *Joſephus* Impp. Aug. crediderunt.

Digitized by Google

petat Preces primarias ad *omnes* & *ſingulos* beneficiorum eccleſiaſticorum collatores (g), capitula, conventus & collegia *ſub Vicariatu Noſtro* (h) conſtituta porrigendi, dandi, concedendi & decernendi, pro perſonis idoneis & Nobis gratis, ad conſequendum beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura (i), tam ſecularia, quam regularia, etiamſi canonicatus & præbendæ (k) fuerint in collegiata, cathedrali vel Metropolitana eccleſia, *in qua etiam conſveverint, qui ad beneficia aſſumi per electionem* (l). Idcirco Sacri Romani Imperii, *Nobisque Ejus vicario* competentia jura & conſvetudines, ut tenemur, proſequi volentes, primarias preces Noſtras pro devoto Nobis dilecto



(g) Sub collatoribus contineutur *collatrices*, quas preces imperiales nominatim exprimunt.

(h) Conf., quæ dixi *hac Diſſ.* §. 12. *ſeqq.*

(i) Hæc ſingula ad eundem modum in precibus imperialibus leguntur, quæ explicat & illuſtrat CHOCKIER *l. c. S. II. & III.*

(k) In imperialibus DD. Ferdinandi & Joſephi additur: *dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia fuerint.*

(l) Id eſt: *etiamſi ad ea conſveverint qui per electionem aſſumi.* ita habent *preces imperiales Joſephi*, in quibus poſt hæc ſequitur: ad collatorum, collatricum, capitulorum, collegiorum ſeu conventuum ac perſonarum prædictarum collationem, proviſionem, electionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamlibet aliam ordinationem conjunctim vel diviſim ſpectantia (canonicatu nihilo minus & præbenda cum dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio etiam ex perſona plurium ſucceſſive vacantibus pro uno computatis beneficio) & *hujus modi* etiam *prædeceſſorum noſtrorum primariis precibus reverenter hactenus paritum fuerit.*

Digitized by Google

*Chriſtiano Auguſto Barone de Frieſen* ad Vos porreximus, dedimus, conceſſimus & decrevimus, ac per præſentes porrigimus, damus, concedimus & decernimus. *Ita tamen, ut nobis & heredibus ac ſucceſſoribus Noſtris, Electoribus Saxoniæ nullum unquam per hoc in juribus, privilegiis, exemtionibus & collationibus Noſtris generetur præjudicium.* Vos adhortantes, & pro conſervatione *jurium* (m) *Romani imperii* & Nobis competentium expreſſe requirentes, ut beneficium eccleſiaſticum tam regulare, quam ſeculare (n), etiamſi canonicatus & præbenda, *dignitas, perſonatus, adminiſtratio vel officium* (o) fuerit (p), quod ad præſens ſive proxime quomodolibet ſimul, vel ſucceſſive *in quocunque menſe* (q) vacare contigerit, ad collationem, proviſionem, electionem, nominationem, præſentationem, ordinationem, ſive quam-

(m) In Cæſareis additum: *& conſvetudinum.*

(n) Cum cura, vel ſine cura.

(o) Hæc ſupra *lit. K.* deeſſe in precibus vicariis, obſervavi. Unde *conjicio, non integras* Sereniſſimi Interregis CORTREIUM, cujus fide hanc copiam exhibeo, *edidiſſe literas*, quarum originalia, ut vocant, mihi videre non contigit.

(p) In *Joſephi* precibus ſequitur: *etiamſi ad illud convenerint, qui per electionem aſſumi in Metropolitana*, cathedrali vel collegiata eccleſia.

(q) Ex hoc apparet, preces primarias menſes papales non minus, quam reliquos afficere, vid. *Diſſ. huj.* §. *13.* Cæterum hoc quoque loco Cæſareæ preces addunt: *per obitum, deceſſum, vel reſignationem alicujus.*

Digitized by Google

quamlibet aliam, (canonicatu & præbenda cum dignitatis perſonatu, adminiſtratione & officio, etiamſi ex perſona plurium ſucceſſive vacaverint, pro uno computatis beneficio,) diſpoſitionem Veſtram pertinens, quod præfatus *Chriſtianus Auguſtus Baro de Frieſen* per ſe, vel procuratorem ſuum *intra* (r) a die notæ ſibi vacationis menſem duxerit acceptandum, eundem *Chriſtianum Auguſtum, Baronem de Frieſen*, prout ad Vos ſpectat, ad illud eligatis, nominetis, præſentetis, ac ei illud conferatis & aſſignetis, atque etiam de eo provideatis, ponendo eum in pacificam & quietam poſſeſſionem, ſtallum in choro & locum in capitulo Ei aſſignando, cum plenitudine juris canonici & fructuum perceptione, qualibet contradictione ceſſante (s). Quin ergo hæ preces Noſtræ primariæ certum conſecuturæ ſint finem, non dubitamus, Vosque ad hoc iterum adhortamur. Hæ litteræ manu Noſtra ſubſcriptæ & ſigilli Noſtri Electoralis appenſione munitæ, dabantur Francofurti ad Moenum die 12. menſis Junii anno Domini ſupra milleſimum ſexcenteſimo, quinquageſimo octavo.

 II. Pre-

(r) Apud CHOCKIER & OLIGEN. in precib. *Ferdinandi* & *Joſephi* legitur: *infra*.

(s) In imperialibus poſt hæc nominantur *executores precum*, & adjicitur *comminatio pœnæ*, quam incurrant capitula, quæ precibus Cæſareis locum non relinquunt, vid. OLIGEN. *p. 5*, CHOCKIER *p. 6*.

## II.

# Preces Primariæ Epiſcopi L. ad Capitulum V. quarum *Coroll.* 4. facta eſt mentio.

NOs N. N. DEI gratia electus Epiſcopus L. &c. Venerabilibus noſtris, Decano & capitulo, eccleſiæ noſtræ V. gratiam & omne bonum. Cum omnipotentis diſponente gratia, præviaque venerabilis capituli N. poſtulatione legitima ad regimen & epiſcopale munus N. Diœceſis evecti ſimus, unde ad imitationem prædeceſſorum noſtrorum ex inveterata conſvetudine jus nobis competat, preces primarias ad conſequendum beneficia eccleſiaſtica, etiam canonicatus & præbendas ad capitulum V. pertinentes concedendi, quibus prædeceſſorum noſtrorum precibus hactenus reverenter paritum fuit; quocirca & nos, majorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, & ſucceſſoribus noſtris jura epiſcopalia ſalva & illibata tradere volentes, primarias preces in collegiata noſtra eccleſia V. Viro nobili, & doctiſſimo, Conſiliario noſtro aulico, nobis ſincere dilecto, N. N. Jur. Utriusque Doctori, decrevimus, dedimus atque conceſſimus, prout per præſentes porrigimus, decernimus atque concedimus. Vos inſuper adhortantes & pro conſervatione dictorum jurium, & conſvetudinum invetera-

tera-

Digitized by Google

teratarum dioeceſis N. expreſſe requirentes, ut ad canonicatum & præbendam majorem per obitum admodum reverendi & nobiliſſimi Domini N. N. a N. Præpoſiti quondam & Decani N., in eccleſia noſtra N., quolibet modo nunc vacantem, jam dictum noſtrum conſiliarium, Doctorem N. N. ſtatim viſis præſentibus, eligatis, nominetis, præſentetis, eique, vel procuratori ejus canonicatum dicti N. nunc quovis modo in eccleſia N. vacantem conferatis & aſſignetis, ponendo eum in actuali pacifica & quieta poſſeſſione cum plenitudine juris canonici & fructuum perceptione, omni contradictione ceſſante. Hoc ipſo declaratis debitam nobis obedientiam & nos quandocunque pro executione harum requiſiti fuerimus, officio noſtro non deerimus. In quorum fidem haſce manus noſtræ ſubſcriptione & ſigilli corroboratione communivimus. Actum in caſtro noſtro V. die Decimo quarto Mart. 1668.

**(L.S.)**

**N. N.**

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google